



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XXXIV. De loco intrinseco, seu ubicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIO XXXIV.

De Loco intrinseco, seu ubicatione.

Nihil certius quam res omnes esse in loco, unde ait Aristoteles 4. Phy. c. 1. t. 1. *quacunq[ue] sunt, alicubi sunt*, seu, ut alij explicant, & eodem penè recidit, *quod nullibi est, nihil est*; unde, inquit ipse ibidem, *tragelaphus & sphinx, & aliæ hujusmodi Chimææ, quia nihil sunt nullibi sunt*. Per quid autem, vel quomodo res sint in loco nihil difficilius: quod proinde multorum ingenia mirum in modum torfit, ut disputationis hujus decursu videbimus.

SECTIO PRIMA.

Varij modi explicandi existentiam rei in loco.

I. *Esse in loco est aliquid aliud præter ipsam nudam entitatem rei & locum, seu spatium, videtur clarum ex communi argumento de separabilitate reali: possunt enim existere locus & corpus, & tamen corpus in loco illo non existere, seu non esse conjunctum loco, ergo rem esse in loco est aliquid aliud præter meram entitatem rei & locum.* Confirmatur, jam res, Angelus scilicet, vel homo est distans ab hoc loco, jam indistans, ergo est indifferens ex se ad hunc vel illum locum, seu ut sit vel non sit in hoc loco, ergo non est ex se determinatus ad hunc locum, ergo determinari debet per aliquid aliud: quid ergo illud aliud sit, hic investigandum proponimus.

II. *Primò, dicunt aliqui esse decretum Dei quo vult creaturam esse hoc vel illo loco. Contrà primò, hoc decretum novum, & voluntas Dei, vel est efficax, vel solum inefficax: si secundum, nihil ad rem præsentem, tunc enim solum denominaret Deum volentem rem esse in loco inefficaciter, & consequenter ex vi illius non esset novus hic effectus conjunctionis ad novum locum, cum voluntas inefficax sit illa quæ non habet effectum, sed solum est per modum cujusdam simplicis complacentiæ, & velleitatis; qualem habet Deus de salvatione totius mundi, vult enim omnes homines salvos fieri. Si autem decretum hoc, & voluntas sit efficax, ergo aliquid efficit ex parte creaturæ, ergo sit aliquid de novo, vel positivum, vel negativum ex parte rerum creaturarum, præter rem & locum, hæc enim erant antè, ergo hoc novum decretum & voluntas Dei vult aliquid aliud præter rem & locum.*

III. *Secundò impugnatur, & inquiri, quando Deus vult ut Petrus qui erat Leodij, sit Londini, quodnam sit objectum voluntatis hujus Divinæ? nec enim est sola voluntas loci, nec sola voluntas rei, Petri v. g. nec Petri & loci, cum Petrus & locus fuerint antea.*

IV. *Dices, est voluntas Petri & loci simul. Contrà, vel illud simul tenet se ex parte objecti, vel solum ex parte actus; ita ut simul velit Deus Petrum & locum, hoc autem non sufficit, Deus enim simul voluit primum annum creationis mundi, & præsentem, qui jam est, non tamen voluit illos esse simul, sed multa annorum millia inter utrumque interponi: ergo quando vult Petrum & locum esse simul, vult aliquid aliud. Debet ergo dari aliquid aliud superadditum*

quod sit formalis determinatio Petri ad hunc potius locum quam alium, voluntas verò hæc Dei, vel alia causa producens est determinatio solum effectiva, seu efficiens determinationem formalem, ut supra disp. 14. s. 1. in simili dixi de unione cujus causa productiva non est unio formalis, sed affectiva, seu unio.

V. *Tertiò impugnatur, oculis enim cernimus res essetali vel tali loco, ac tantum inter se distare, & tamen non cernimus voluntatem Dei, alioqui lupus videns agnum in prato, videret voluntatem Dei. Deinde si possit per hujusmodi solum novum decretum Dei statui res in diverso loco, ita ut decretum hoc sit ratio formalis per quam sunt res in loco, quidni etiam dari possit decretum aliquod quod sit unio, vel actio, imò & albedo, ita ut paries sit albus, & aer lucidus per voluntatem Dei?*

Secundò ergo dicunt alij, probare quidem hæc, dari debere necessariò aliquid distinctum ab entitate rei & loci, per quod dicatur res esse in loco, hoc autem, inquirunt, est ipsa actio quæ res producit, quam dicunt simul esse actionem, ubicationem, & durationem, & ex naturâ suâ producere vel conservare rem hic & nunc, ergo simul est actio, ubicatione, & duratio.

Contrà primò, si hoc sufficiat ut dicatur actio esse simul ubicatione, & duratio, quod Deus per actionem producat Petrum hic & nunc, ob quam causam dicunt actionem habere has tres formalitates, productionis, ubicationis, & durationis, quidni ergo & unio erit simul ubicatione & duratio? cum Deus intendat per unionem unire formam materiæ, & accidens subjecto hic & nunc. Dices; unio potest manere eadem, licet res mutetur quoad locum. Contrà, sic etiam & actio: quæ enim est major ratio cur unio maneat, mutatâ re quoad locum, quam actio, certè nulla assignabitur extra præsentem controversiam, nisi petatur principium. Licet ergo producat & conservetur res hic & nunc, non tamen hæc tria munera præstantur per solum actionem, sedtribuendo singula singulis, producit & conservatur res per actionem, hic per ubicationem, nunc per durationem: effectus enim formalis actionis non est reddere rem hoc vel illo loco præsentem, sed solum eam producere, nec effectus formalis ubicationis est producere, sed reddere rem præsentem.

Impugnatur secundò, cur non posset quis eodem modo dicere, albedinem esse suam ubicationem & durationem, & consequenter mutari singulis momentis? ut philosophantur hi auctores de actione, æquè enim ex conceptu suo actio est absoluta à loco & tempore atque albedo, & sicut actio producit albedinem hic & nunc, ita albedo reddit subjectum album hic & nunc, ergo etiam mutabitur albedo singulis momentis, sicut juxta hos auctores mutatur actio.

Contrà tertiò, quis dicet columnam loco aliquo fixam singulis momentis mutare ubicationem, & habere diversam ubicationem vespere quam mane, vel diversam etiam actionem conservativam? habemus verò fundamentum cur mutet durationem, cum duratio sit correspondentia cum tali tempore reali, vel imaginario, cum ergo tempus perpetuò fluat, debet etiam fluere duratio ipsi correspondens: sicut, quæ

VI. *Ubiatio rei non est actio ejus, dempro ductiva.*

VII. *Impugnatur hæc opinio.*

VIII. *Sequens albedinem esse suam ubicationem & durationem.*

IX. *Columna immota mutaret singulis momentis ubicationem.*

dum quis mutat locum, & spatium imaginarium, necessarium mutatur illius ubicatio: cur autem mutetur actio, nullum est fundamentum, cum non magis ex conceptu suo unum tempus respiciat actio quam aliud.

X.
Sequitur
nihil posse
movere se.

Contra quartò, si ubicatio identificetur cum actione productiva, sequitur non posse quidquam propriè dici movere se. Pater, nam ubicatio est actio productiva, & conservativa, juxta hanc sententiam, sed non potest quidquam producere, aut conservare se, ergo nec poterit se movere, cum sint idem, vel si dicatur movere se, dicetur etiam se producere. Confirmatur, Angelus non posset omnino dici naturaliter movere se, si motus esset actio illius conservativa, nam illa est creatio, sed Angelus nec se, nec aliud quidquam potest naturaliter creare, ergo nec poterit se movere, cum juxta hanc sententiam sunt idem.

XI.
Non posset
quis in di-
verso loco
habere eun-
dem actum
liberum.

Tandem secundum hunc modum philosophandi, non posset Petrus aut quisvis homo, vel Angelus habere eundem actum liberum in duobus locis vel momentis, sed necessario illum mutare debet quoties mutat locum. Probatur antedicens, actum enim liberum, ut liberum, necessario ingreditur ipsa actio, sed actio secundum hos auctores essentialiter affixa est hoc loco, & tempore, ergo non potest in diverso loco & tempore habere eundem actum liberum: quod tamen merito censetur inconveniens.

SECTIO II.

Peculiaris modus explicandi existentiam rei in loco.

I.
Novus
modus ex-
plicandi ex-
istentiam
rei in loco.

Tertius aliquorum dicendi modus est, rem esse in loco non dicere aliquid superadditum rei & loco, sed solum conjunctionem corporis cum hoc spatio, hæc autem, inquit, conjunctio formaliter nihil aliud est, quam ipsa entitas rei tollens negationem sui in hac parte spatij, idque per se adequatè. Pro quo supponunt nobiscum negationes habere partes, vel quasi partes extensivas secundum spatium in infinitum diffusas. Eise ergo Petrum hic, inquit, est tollere hanc partem negationis sui, seu partem illam quæ huic spatio peculiariter correspondet.

II.
Impugnatur
hic philoso-
phandi
modus.

Sed contra, tota & adequata ratio formalis, per quam res est hic, seu tota ratio per quam tollit formaliter hanc partem negationis sui, est secundum hunc modum dicendi, ipsa sola entitas illius rei, sed tota entitas rei, Petri v.g. erat antea in tempore præcedente, & antequam Petrus esset hic, ergo in tempore præcedente tollebat hanc partem negationis, & antequam Petrus huic loco coexistere, datâ enim causâ formali adequatâ non potest non poni effectus ejus formalis, ergo Petrus existens Romæ tollere deberet partem negationis sui, quæ est Leodij, Parisiis, Londini &c. vel ad hunc effectum aliquid aliud requiritur, præter meram Petri entitatem. Dices; requiri ut applicetur Petrus huic loco. Contra, ergo esse ipsum applicatum superaddit aliquid aliud, nempe applicationem, hæc ergo applicatio inquiri quid sit, vel quid superaddat: certè vel aliquid aliud includit præter meram Petri entitatem, vel Petrus antea tollebat hanc partem negationis sui, & consequenter antea erat hic.

III.
Dicunt su-
peraddi
negationem
negationis.

Dices primò, illam applicationem non esse quid positivum, sed negationem negationis, nempe negationem hujus partis, quæ scilicet jam resultat loco prioris, ita ut ratio formalis per quam Petrus est hic, sit hæc negatio negationis. Contra primò, ergo ra-

tio formalis per quam Petrus est hic, non est sola ejus entitas. Contra secundò, nam d. 18. Log. sec. 11. Non datur ostendi non dari hujusmodi negationes negationum contradictorias, sed pro contradictorio habere de negationem rem aliquam positivam, cum contradictoria sint, quæ maximè inter se distant, ut ibi fufius. Deinde, contradictoria omnia æqualiter inter se distant, duæ autem negationes non tantum inter se distant quantum res positiva & illius negatio, cum duo non-entia non tantum distent, quantum ens & non-ens.

Dices secundò, ideo corpus tollere hanc partem negationis sui, quia coexistit omnibus aliis partibus suæ negationis, implicat autem ut existat corpus & omnes aliæ partes negationis hujus corporis, quin corpus tollat hanc partem, cum existere non possit quin tollat aliquam, ac proinde determinatur ad ablationem hujus partis per coexistentiam ad omnes alias. Contra, eadem hic, vel major videtur difficultas, nam non minori egeret determinatione ut coexistat aliis omnibus partibus, quam ut tollat hanc, ergo assignandum est aliquid aliud per quod determinetur ad coexistendum cum illis. Confirmatur, ideo tollit hanc partem negationis sui, potius quam aliam, quia applicatur huic parti spatij, & non alteri, ergo est aliqua nova & peculiaris applicatio, per quam redditur correspondens huic parti spatij, potius quam alteri, quæ applicatio non erat antea, hæc autem est ubicatio.

Dices, (& est fundamentum hujus sententiæ) res non est hic formaliter & adequatè per negationem sui hic, seu per hanc partem negationis, ergo res hic adequatè per suam entitatem solam. Pater consequentia, per id est hic formaliter per quod tollitur ejus negatio hic, sed tollitur formaliter & adequatè per solam rei entitatem, ergo. Minor probatur, nam negatio rei solum tollitur formaliter per entitatem ipsius rei sibi contradictoriè oppositam, nec enim negatio Petri hic tollitur formaliter per ubicationem Petri, sed per entitatem, ergo per solam suam entitatem Petrus est hic, cum per solam suam entitatem tollat partem illam negationis sui hic.

Resp. verum esse Petrum tollere negationem sui hic formaliter, & adequatè per suam entitatem, necessarium tamen requiritur applicatio tanquam conditio essentialiter requisita, alioquin non esset major ratio cur tolleretur hanc partem suæ negationis, quam aliam. Ratio igitur cur tollat potius hanc partem, quam aliam, est, quia applicatur huic parti spatij, potius quam alteri. Sicut licet rem existere simpliciter sit tollere suam negationem, & illam tollat adequatè per suam entitatem solam, necessario tamen requiritur actio productiva, per quam ponatur res extra causas, & quasi applicetur ad esse, & ad negationem illam auferendam.

Ad id autem quod dicunt, ipso facto quod intelligatur tolli hæc pars negationis, intelligi formaliter rem esse hic. Resp. negandum esse suppositum, posse scilicet intelligi rem tollere hanc partem negationis, quin intelligatur cum ubicatione, si formetur conceptus adequatus, & cum omnibus requisitis; ut enim intelligatur res tollere hanc partem negationis, debet intelligi applicata huic spatio, applicatio autem hæc est ipsa ubicatio, cum res ex se sit indifferens ut hanc partem negationis tollat, vel aliam. In quo differt res absoluta ab ubicatione, hæc enim ipso facto quod intelligatur tollere hanc partem negationis sui, intelligitur esse hic, quia non eget alio applicante vel determinativo, sicut egent res omnes absolute, sed idem est in ubicatione esse, & esse applicatam tali spatio.

Licet itaque Petrus per suam entitatem solam tollat

Ubicatio requiritur tamquam applicatio.

tollat formaliter hanc partem negationis sui, sicut tamen requirit actionem conservativam tanquam conditionem ad hoc necessariam, ita & requirit ubicationem, quæ sit applicatio illius ad hanc potius partem negationis quam aliam, ex quo provenit ut partem illam solam tollat, & nullas alias.

ubicatio, & duratio sint modi quàm actus intellectus, voluntatis, & omnium sensuum, quos tamen communis sententia negat esse modos.

Dices primò; ubicatio est essentialis determinatio & conjunctio rei cum tali loco, ergo est modus. Contra, etiam visio est determinatio & conjunctio intentionalis oculi, vel animæ cum tali determinato objecto, ergo vel utraque erit modus, vel neutra. Si-
cut autem visio potest per Divinam potentiam conservari sine hoc, imò sine omni subiecto, ita quidni poterit ubicatio? ubicatio ergo est essentialis determinatio sui ad hoc numero spatium, non ad hoc numero subiectum, ita ut sine eo existere non possit. Dici ergo potest ubicatio modus spatij, non subiecti.

IV.

Conservari potest ubicatio sine subiecto.

IX.
Res non est in loco per negationem spatij interjecti.

Alij demum cum Gregorio, Gabriele & cæteris Nominalibus, ac Patre Valentia 1. p. d. 4. q. 3. p. 2. §. In eo autem, dicunt rem esse in loco per negationem spatij interjecti, & hoc modo ponunt varias negationes negationum: spatium enim est una negatio secundum ipsos, interjectio est alia, deinde negatio spatij interjecti est secundum illos negatio hujus negationis. Hæc sententia magnam mihi videtur parere confusionem: quæro enim quis sit conceptus spatij, ut vocant, interjecti inter Petrum & Paulum? dicunt esse negationem conjunctionis. Inquiri ulterius quid sit illa conjunctio, cujus spatium interjectum est negatio? dicunt esse non-conjunctionis, seu negationem negationis conjunctionis, & sic philosophantur in circulo.

X.
Hoc modo philosophandi negari possit unio.

Deinde contra hunc modum philosophandi est, quidni enim negari eadem ratione posset unio, quam tamen concedunt aliqui ex his auctoribus? probatur sequela; ponantur namque anima & corpus intimè inter se penetrata, sed non unita, quæro cur non sint jam unita? Respondent quia deest conjunctio, seu quia habent negationem conjunctionis, ergo si ponatur negatio negationis hujus conjunctionis, jam per hanc negationem conjunguntur, implicat enim auferri negationem conjunctionis inter aliqua, & ea non conjungi; gratis autem negaretur posse dari hujusmodi negationem negationis conjunctionis inter corpus & animam, si concedatur, ut ab ipsis conceditur, dari eam in conjunctione quoad locum: quæ enim major ratio in uno casu, quàm in altero?

Dices secundò; implicat concipere sessionem vel curvatem quin concipiatur reddens aliquid sedens, vel curvum. Conf. ubicatio secundum nos est applicatio, sed implicat concipere applicationem, & non concipere aliquid applicatum, ergo ubicatio essentialiter afficit suum subiectum, & consequenter est modus, etiam subiecti. Ad argumentum Resp. non majorem in eo esse difficultatem quàm ut concipi possit visio & cognitio quin concipiatur actu reddentes videntem aut cognoscentem. Est ergo & sessio & curvitas essentialis ordo & correspondentia sui ad tale spatium, non tamen denominat necessariò subiectum hoc modo extensum, nisi illi actu unitatur. Ad confirmationem distingo minorem: implicat concipere applicationem completam, & non aliquid applicatum, concedo minorem; applicatio-
nem incompletam, nego. Applicatio autem completa dicit ubicationem seu applicationem unitam sub-
jecto, sicque includit unionem, licet semper intelligatur applicatio unita & applicata spatio, est enim ex essentiali sua applicata per se huic spatio, non tamen applicat necessariò aliud à se, cùm non necessariò uniatur suo subiecto.

V.

Sessio & curvitas esse possunt sine subiecto.

Ubicatio est applicatio incompleta.

SECTIO III.

Res existit in loco per ubicationem: ubi, utrum ubicatio sit modus.

I.
Res in loco existit per ubicationem.

Ico itaque primò: rem esse in loco per ubicationem, seu formam aliquam positivam, à re realiter distinctam: ita Suar. d. 51. Met. f. 1. n. 14. Mol. 1. p. q. 5. 2. a. 1. dis. un. mem. 5. Albertin. To. 2. præd. quan. coroll. 15. d. 1. 3. 4. Tan. d. 5. de Ang. q. 2. d. 2. n. 1. Murcia hic d. 1. q. 4. Toll. 4. Phy. q. 3. concl. 1. Hurt. hic d. 1. 4. f. 2. Arriaga. d. 1. 4. Phy. f. 2. n. 4. Ovid. cont. 15. Phy. p. 4. n. 3. & alij. Contra Valent. 1. p. d. 4. q. 3. p. 2. Coninck de sacram. q. 75. a. 4. & alios.

II.

Prob. primò, ex refutatione omnium aliorum modorum explicandi existentiam rei in loco, quos sec. præcedente retulimus & impugnabimus. Secundò probatur argumento illo quod supra latè posuimus f. 1. n. 2. & seq. de separatione reali, quod non est opus hic repetere.

III.

Ubicatio non necessariò est modus.

Dico secundò, probabilius mihi videri, positivum hoc quod superadditur, seu ubicationem (idem est de duratione) non necessariò debere esse modum, sed posse esse formam aliquam superadditam absolutam, absolutam inquam, non à spatio, sed à subiecto: ita Arriaga d. 1. 4. Phy. f. 2. n. 49. contra Ovidio cont. 4. Met. p. 6. n. 7. fine, & alios plurimos. Conclusionis unica & sufficiens ratio est, quia intelligitur ubicatio & duratio abundè præstare munus suum figendi, scilicet rem in hoc spatio, ac tempore, licet ipsæ subiectis suis uniatur per uniones distinctas, modò connectantur spatio ac tempori immediatè & per seipsas, Conf. non videtur cur magis

Dices tertio; ergo etiam tolli poterunt omnes modi. Nego consequentiam, longè enim major est necessitas aliorum, quàm ut ubicatio sit modus, nam si unio ex. g. non esse modus, sequeretur processus in infinitum, si enim unio esset substantia absoluta, quantumcunque incompleta, & non esset intima affectio, & unio sui cum subiecto & formâ, egeret aliâ unionem ut iis uniretur, cùm eadem tunc esset ratio de unionem ac de materiâ & formâ: illa ergo alia unio vel uniretur seipsâ, & sic esset intima affectio per se sui subiecti, sicque esset modus, vel uniretur per aliam adhuc unionem distinctam, & illa per aliam & sic in infinitum, nisi tandem concedatur aliqua unio, quæ sit intima affectio sui subiecti, & modus. Quid autem ubicatio sit entitas absoluta & solùm determinata quoad spatium, quid sequitur incommodi? nullus enim hic processus in infinitum, sicut in exemplis proximè allatis.

VI.

Nego hinc sequitur tolli posse omnes modos.

VII.

Dices quartò; aliqui modi sunt in loco per ubicationes à se distinctas, ergo ubicatio non est qualitas vel accidens absolutum, hujusmodi enim qualitas subiectari nequit in modo ob imperfectionem modi, sicut nec propterea potest substantia subiectari in accidente. Resp. omnes modos non esse imperfectiones semper accidentibus: quis enim dicit substantiam, quam multi ponunt modum, non esse perfectionem calorem, vel frigorem? cùm sit modus substantialis, quod etiam verum habet in unionem, saltem hypostaticâ. Deinde esto sint modi omnes imperfectiones accidentibus absolutis, quidni tamen poterit aliquid perfectius subiecti in subiecto se imperfectioni? ut formæ substantiales subiectantur in materiâ primâ: concursus enim materialis non requirit profluere à principio perfectione illâ re in quam

Modi non sunt semper imperfectiones accidentibus.

Perfectius
subiecti
potest in im-
perfectiore.

quam influit, cum sit modus concurrenti ex genere suo imperfectus. Ratio autem cur substantia non possit recipi in accidente, non est imperfectio accidentis, ut constat in materia primâ respectu formarum substantialium, & unionis Hypostaticæ, sed quia substantia ex naturâ suâ ordinatur ad faciendum unum per se cum suo subiecto, ac proinde subiectum quod præsupponit substantiæ, debet esse substantia: unde forma substantialis recipi nequit in accidente.

VIII.

Ubicatio
est absoluta
à subiecto,
non à loco.

Est ergo ubicatio accidens absolutum à subiecto, non à loco, seu spatio, unde esse potest quin actu afficiat ullum subiectum, non tamen quin alligetur loco, idque per se, alioqui daretur processus in infinitum, sicut & in duratione. Ut ergo tribuat ubicatio effectum suum formalem, uniri debet subiecto per unionem distinctam, sicut alia omnia accidentia. Utrum autem ubicatio Petri possit esse ubicatio Pauli, & è contrâ, ex una parte nec est magnum inconveniens si concedatur, nec est negatu difficile, cum multi, qui negant substantiam esse modum, non tamen admittant posse substantiam Petri esse substantiam Pauli, vel è contrâ, quia est quasi quædam proprietas Petri. Quod idem dici potest de ubicatione, utpote quæ spectat ad completam rei perfectionem, & quasi integrum illius primum conceptum, ut sit in loco, cum esse omnino non possit quin sit alicubi, ut ostendi disp. præcedente sec. quinta.

Possumus
ubicatio Petri
esse ubicatio
Pauli.

SECTIO IV.

Objectiones contra distinctionem ubicationis à re ubicatâ.

I.
Obijciatur
Petrus
ablatâ ubi-
catione
Romanâ,
adhuc fuisse
Romæ.

Obijcies primò, Deus tollere potest à Petro Romæ existente omnem ubicationem, Petro quoque ad cætera immutato, sed tunc Petrus tam esset adhuc Romæ, quam antea, ergo. Minor prob. Petrus tunc esset alicubi, nam juxta Aristotelem supra citatum, quod nullibi est, nihil est, sed non acquiritur novam correspondentiam ad aliquod aliud spatium, eum illud acquirere non possit sine novâ ubicatione, supponimus autem omnem ab ipso ablatam esse ubicationem, ergo adhuc est Romæ, idque sine ubicatione. Major prob. hæc ubicatio pendet à Petro à posteriori, cum sit effectus illius, ergo sicut potest materia divinitus denudari omni formâ, si Deus subtrahat concursus, ita & Petrus sine omni ubicatione. Confirmatur primò, nulla alia causa ita dependet à suo effectû, ut sine omni effectû existere non possit, ergo &c. Confirmatur secundò, Deus per novum concursus liberum distinctum à concursu quo producit Petrum, concurrat ad hanc ubicationem, ergo adhuc producto Petro, & exhibito concursu ad illius entitatem, poterit concursus suspendere ad ubicationem.

II.
Satisfit
objectioni
positæ.

Ad argumentum Resp. negando majorem, ob rationes supra allatas d. præcedente, f. 5. Ad primam confirmationem, negatur antecedens, ut ostendi supra d. 20. f. 2. n. 4. 5. 6 & 7. in causâ tum necessariâ tum liberâ. In præsentî verò hoc provenit ratione circumstantiarum, spatij scilicet, seu negationum undique in infinitum diffusarum, unde implicat quidquam esse, quin cum aliqua parte illarum sit intimè penetratum: sicut ob eandem rationem ostendi d. præcedenti, f. 5. n. 4. nihil existere posse, quod non sit intimè præsens Deo: sicut nec quin coexistat Anti-Christo, vel ejus negationi.

III.

Ad secundam confirmationem dico, Deum, posito quòd rem quampiam producat, non posse non producere aliquam illius ubicationem, & duratio-

nem, alioqui sequerentur duo contradictoria, nempe, rem esse intimè præsentem Deo, & alicui parti spatij, & non esse iis intimè præsentem.

Obijcies secundò, & præcipuè prius naturâ quam ponatur ubicatio, datur effectus formalis ubicationis, ergo ubicatio est superflua. Antecedens probatur, prius naturâ quam Petrus ex. g. producat aut recipiat ubicationem in hoc spatio, potius quam in alio, debet esse in hoc spatio, potius quam in alio, cum prius sit esse hic, quam operari hic, ergo antecederet ad operandum hic, seu in hoc spatio, debet esse hic, & applicatus huic spatio, ergo prius naturâ est hic quam habeat hanc ubicationem, ergo ubicatio non est ratio formalis per quam Petrus est hic.

Resp. negando primum antecedens: ad probationem nego etiam antecedens, licet enim approximatio, & applicatio sit conditio prærequisita ad alias operationes, & effectus, non tamen ad productionem ipsius ubicationis, seu applicationis. Sicut licet ad alias operationes requiratur substantia juxta illud, actiones sunt suppositorum, non tamen potest substantia præquiri tanquam conditio requisita ad productionem sui. In hac ergo propositione & similibus est suppositio accommodata, sicut in hac, quod tegit omne calum, id est, præter seipsum: qua de re egit d. 3. Introd. l. 1. n. 9. Idem ergo affirmari poterit de productione ubicationis.

Dico itaque Petrum producentem hanc ubicationem, quâ figitur hic, seu in hoc gymnasio, non propriè operari hic seu producere ubicationem in hoc gymnasio, nisi sermo sit de toto instante reali, quia pro illo priori præscindit ab omni spatio, nec potest propriè dici producere ubicationem in hoc spatio pro illo priori, quia pro illo priori non est in hoc spatio, nam est in illo solum per ubicationem, ac proinde non potest in eo prius esse quam habeat ubicationem, illam autem pro illo priori non habet. Pro illo ergo priori habet se præcissivè respectu ubicationis & spatij.

Requiritur ergo ubicatio tanquam conditio antecederet ad operationes tantum externas, non ad productionem ubicationis & operationum internarum, seu quæ exercentur in ipsâ re, quæ operatur. De quo plura d. 36. f. 5.

Sed urgebis, res prius naturâ est, quam producat ubicationem, ergo aliquid assignari debet in actu primo, quod pro illo priori eam determinet ad productionem hujus ubicationis, potius quam alterius, res enim ex se, Petrus ex. g. non magis petit unam producere, quam aliam, cum sit ad varia loca indifferens, & consequenter ad varias ubicationes. Assignari ergo debet aliquod determinativum, hoc autem aliud esse nequit, quam quòd applicetur respectu huic spatio, quam alteri: alioqui cur magis producat ubicationem Leodiensem, quam Romanam? ergo res est applicata spatio pro aliquo priori naturæ, antequam habeat ubicationem, ergo ubicatio non est applicatio, seu planè superflua.

Resp. si sermo sit de primâ rerum productione, ideo rem aliquam, ignem ex. g. hic produci, quia hic sunt dispositiones, & causæ ad eum producendum applicatæ. Si autem sit effectus qui à solo Deo dependet, ut Angelus, ideo hic producitur merè ex decreto libero Dei, volentis hic eum potius producere, quam alibi. Si verò sermo sit de motu locali, dico in illo determinationem provenire à voluntate in terminis Angelo, & homine, in brutis verò ab imaginativâ & appetitu, cujus ductu in unam partem potius feruntur, quam aliam. Reliqua, gravia scilicet & levia, impetu quodam naturæ in sua quæque loca feruntur, hæc sursum, illa deorsum.

Ad

X. Ad id verò quod opponebatur, nisi detur aliquod determinativum ad productionem ubicationis, nullam esse rationem cur Petrus in instanti A existens Leodij, producat in instanti B ubicationem Leodio proximam, potius quàm Romanam, dico rationem esse, quia immediatè antè fuit Leodij: cum ergo moveri naturaliter non possit nisi transiendo per medium, Romanam ubicationem producere prius nequit, quàm produxerit intermedias.

XI. Urgent aliqui, quòd res fuerit immediatè antea in spatio proximo, parum refert, cum ad operandum in hoc instante nihil conferat quicquid fuerit in instantibus præcedentibus? Sicut quòd dispositiones ignis fuerint in materiâ in instante A, nihil conducit ad introductionem formæ ignis in instante B, nisi dispositiones illæ permaneant in instante B: ita similiter habuisse hanc ubicationem nihil juvat ad producendam proximam, cum illa jam ampliùs non existat.

XII. Sed hoc nullam mihi videtur habere difficultatem, & ab ipsis adversariis solvi variis in rebus debere. Primò ergo, ut quis moriatur hîc, ab eo pendet quòd immediatè antè fuerit hîc. Deinde, in impetu ut sex, qui simul totus productus perit successivè, quintus gradus, ut pereat connotat sextum immediatè antè periissè, & sic de cæteris gradibus usque ad primum. Quod etiam contingit in gradibus caloris in aquâ productis, & similibus. Item juxta adversarios, ut res ulla, vel permanens, vel successiva possit produci, petit æternitatem à parte antè transivisse. Et magis propriè ad rem præsentem, fuisse Petrum immediatè antè in spatio A, efficit ut Deus agens naturaliter non possit ipsum in instante sequente collocare nisi in spatio proximo. Quidni ergo & fuisse hîc immediatè antè esse possit conditio ut res constituatur in spatio immediatè sequente, seu ut producat ubicationem proximam heterogeneam?

XIII. Aliud est de formis substantialibus, tum quia experientia constat eas non introduci, nisi positis dispositionibus: tum quia accidentia iis data sunt, vel ut ornamentum, ut omnes fatentur, vel etiam ut adjuvamentum, ut suprâ ostendi disp. 25. sect. 8. n. 3.

XIV. Obijcies tertio: si detur hujusmodi ubicatio, posset cerni oculis, & una discerni ab aliâ, præsertim si notabiliter differant, sed non possunt discerni: siquis enim inclusus navi, secundo vento deferatur per integrum diem in mari, aut flumine, diversa notabiliter est ubicatio navis vespertina ab ubicazione ejusdem matutina, quarum tamen diversitatem vector inclusus navi non discernit.

XV. Resp. admissò quòd videantur Ubicationes, has, si sint ejusdem speciei rei, non differre specie completâ, quantum enim Ubicatio Petri Leodij differt seu distat ab ubicazione Pauli, qui est Romæ, tantum ubicatio Pauli Romæ differt & distat ab ubicazione Joannis, qui est Constantinopoli, sicque habent prædicata similia, sicut & spatium ipsum, cujus partes non differunt specie. Licet ergo cernantur ubicationes, non tamen discernuntur, nisi per comparisonem ad aliâ, vel secundum diversas figuras, ut lineam, circulum, triangulum, & alia hujusmodi, quæ fundant.

ad aliquod corpus, unde ait Vasq. posse Angelum prohibito esse nullibi, si nimirum nolit se ulli corpori conjungere, de quo alibi.

Celeberrimâ itaque divisione dividitur Ubi in Ubi circumscriptivum & definitivum: Ubi circumscriptivum est, per quod corpus existit commensurativè & quantitativè, ita ut pars parti spatij corresponderet, & totum toti, idque impenetrabiliter cum alio corpore quantitativo. Ubi definitivum latè sumptum est Ubi illud, cui aliqua ex his conditionibus jam assignatis pro Ubi circumscriptivo deest. Unde dicunt aliqui si materia prima, vel forma lapidis, ablata quantitate, maneret adhuc extensa quoad locum (probabilius enim est in eo casu eas non necessariò confluxuras ad punctum) illud Ubi futurum definitivum, non circumscriptivum, licet adhuc per illud pars materiæ & formæ parti spatij, & tota toti corresponderet. Vocatur præterea Ubi illud definitivum, idque strictè, quod ita limitibus quibusdam rem definit & coërcet, ut ulterius non extendatur: quo sensu omnia habent Ubi definitivum præter Deum, licet existant quantitativè in loco.

Appellatur etiam subinde Ubi definitivum, per quod aliquid extenditur, vel quasi extenditur ad ultimum suæ sphaeræ. Ubi autem definitivum propriissimè sumptum, est quod locat rem in spatio indivisibiliter, seu ita ut pars non corresponderet parti, sed totum sit in toto, & totum in qualibet parte spatij, quomodo Angeli sunt in loco, & est communis modus existendi spirituum. Video nonnullos fusè hîc examinantes alias acceptiones Ubi definitivi, sed his est de modo loquendi, quibus quæstionibus non libenter insisto.

Peculiare est hac in parte Ubi illud quo corpus Christi est in Eucharistiâ, & vocatur Ubi sacramentale, nec enim solum reddit corpus Christi penetratum cum quantitate panis, sed etiam omnes partes Corporis Christi penetratas inter se, ut quantitatem capitis cum quantitate manûs, pedis, &c. cum totum corpus Christi sit in singulis partibus & punctis spatij. Habet ergo hoc singulare hæc ubicatio, quòd singulæ illius partes uniantur toti corpori Christi, & reddat omnes partes penetratas inter se, quod nulli alteri ubicacioni competit respectu corporis, quod in spatio collocat.

Quoad secundum, quod in titulo quærimus, nempe, quibus rebus diversæ competant ubicationes: imprimis ubicationem ipsam non egere aliâ ubicatione à se distinctâ est clarum, sic enim daretur processus in infinitum, & eadem quoad hoc ratio est de ubicatione, ac de actione, unione &c. Actio item productiva præsentiae localis, unio etiam quâ in nostrâ sententiâ sec. 3. num. 3. & sequentibus explicatâ, ubicatio unitur suo subjecto, non egent aliâ præsentia, quâ sint in loco, tum quia daretur processus in infinitum, tum præcipue quia actio hæc & unio sunt affectiones hujus præsentiae, ergo ex naturâ suâ petunt esse in eodem spatio cum illâ, ergo sicut illa non est in loco per præsentiam à se distinctâ, quia petit essentialiter per se esse in hoc spatio, eodem modo actio ejus productiva, & unio erunt in hoc loco essentialiter per se, cum nec divinitus inde dimoveri, seu in alio loco statui possint. Idem existimo de ubicationis duratione.

Dices, sunt in loco per ipsam præsentiam quam afficiunt, seu per suum terminum. Contrâ, ratio existendi in loco est effectus formalis proveniens ab aliquâ formâ, seu ab aliquo informante; sed terminus non informat actionem sui productivam, nec unionem, sed potius è contrâ, ergo potius terminus est in loco per actionem & unionem, quàm ille per terminum.

SECTIO V.

Divisio ubicationis: & quibus rebus diversa ubicatio competat.

I. Usè hac de re. Suarez d. 51. Met. P. Hurt. d. 12. Met. sect. 6. ubi latè impugnatur P. Valq. l. p. d. 188. c. 7. asserentem Angelum solum esse in loco per unionem.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

G g

Matc.

VII.
Materia,
Forma, &
qualitates,
habent ubi-
cationes sin-
gula diver-
sas.

Materia, forma, & omnes qualitates sunt in loco singulae per ubicationes distinctas. Patet, nam si una esset omnium ubicatio, sequeretur, quoties vel unum aliquid accidens in composito destruitur, perire totam semper ubicationem, idque manente re in eodem profus loco pereunte enim termino vel subiecto etiam partiali ubicationis, perit ubicatio. Dicit Vasquez, omnia in composito esse in loco per Ubicationem quantitatis. Contrà, possunt accidentia varia, & ipsa forma substantialis perire, manente adhuc in eodem loco quantitate, ergo non sunt in loco per ubicationem quantitatis.

VIII.

Essentiam & passiones omnes ab eâ naturaliter inseparabiles probabile est esse in loco per eandem ubicationem. Ratio est, quia petunt semper esse in eodem loco, nec possunt ab invicem naturaliter separari, ergo non est cur iis assignentur diversae ubicationes, cum non sint multiplicandae entitates sine necessitate.

Dices, unam non sufficere, nec enim subiectari potest idem accidens in subiectis specie distinctis. Contrà, dicunt multi, actus materiales sensuum subiectari & in materiâ & in animâ: item unio materiæ & formæ, imò accidentis cum subiecto, ut albedinis vel quantitatis cum pariete, recipitur juxta multos in utroque, ergo sola diversitas subiecti non sufficit. Habent ergo ut plurimum res compositae ubicationes etiam compositas, ita ut singulis partibus singulae respondeant ubicationes, nisi ubi est peculiaris ratio in contrarium, ut aliquando esse ex dictis constat.

Entitates etiam modales, præter superius positas nu. 4. habent ubicationes distinctas à subiectis quibus insunt. Ratio est, tum quia perire possunt manentibus in eodem loco subiectis, tum quia unio & actio conservativa partium in composito posita sunt ab uno in alium locum, moto composito, transferri.

IX.
Idem sub-
iectari po-
test in sub-
iectis specie
distinctis.

X.
Modi forme
singuli ha-
bent ubi-
cationes diver-
sas.

DISPUTATIO XXXV.

De existentia rei in duobus locis.

SECTIO PRIMA.

Utrum eadem res possit naturaliter esse in duobus locis: præcipue forma materialis.

I.
Sermo est de
duobus locis
discontinuis.

IN duobus inquam locis adæquatis, & discontinuis, seu totalibus, nam in duobus aut pluribus non adæquatis, nec discontinuis posse rem existere, non est dubium, cum anima rationalis sit tota in capite, tota in pede, & tota in singulis corporis partibus: item Angelus est totus in primâ, & ultimâ parte suæ sphaeræ, & simul in omnibus partibus intermediis. Quæstio ergo est, utrum possit simul esse vel corpus, vel spiritus in duobus locis discontinuis, seu ita, ut non simul sint in medio. Utrum v.g. possit aliquid naturaliter esse hic, & Romæ, ita ut non sit in spatio interjecto.

II.
Nullares esse
naturaliter
posse in
duobus locis
discontinuis.

Non posse rem eadem, saltem completam, naturaliter in duobus locis existere constans est omnium opinio, & quotidianâ probatur experientiâ: unde quodcumque huiusmodi aliquid visum est, manifesto ascriptum est miraculo: quare nec Angelum nec animam rationalem, nec compositum ullum substantiale posse vi agentium naturalium in duobus locis adæquatis, & totalibus, seu discontinuis simul collocari, videtur certum: rationem tamen ejus congruam assignare, factum non est ita facile. Ratio ergo una esse potest, quod cum res quævis sit suapte naturâ limitata, petit ipsius limitatio limitatum etiam locum, unde expletur naturalis ejus capacitas per unam ubicationem adæquatam, ac proinde stante unâ, non potest naturaliter habere aliam, magis quàm ignis duplicem simul calorem ut octo, vel materia simul duas formas substantiales ejusdem rationis. Secundo, quia si posset res aliqua esse in duobus locis simul, ergo in pluribus sine fine, idque naturaliter, quod tamen videtur incommodum, & in simili negatur posse materiam duas simul formas substantiales recipere, quia nullus numerus formarum assignari posset, quarum simul esset susceptiva.

III.

Quæres utrum saltem forma aliqua materialis

substantialis, vel accidentalis possit produci simul in diversis locis adæquatis, & discontinuis? affirmant aliqui, quorum rationes ponentur sect. sequente.

Dicendum, nullam omnino formam, sive substantialem, sive accidentalem posse vi agentium naturalium produci, aut collocari in diversis locis adæquatis, ac discontinuis. Prob. primò rationibus num. 2. allatis, quæ hic etiam vim suam habent, & à thesi applicantur ad hypothesim. Secundò, nam aliqui non possemus scire utrum de facto non sit eadem forma ignis ubicunque est ignis, & non diversa pro diversitate loci: quod idem dici posset de omnibus formis tum substantialibus, tum accidentalibus.

Probatur tertio, secundum omnes censetur miraculum quodcumque aliquid est in duobus locis adæquatis, & totalibus simul, ergo non potest quidquam naturaliter statui in duobus locis huiusmodi, seu discontinuis. Dices, solum censeri miraculum quò res aliqua completa, ut homo, vel Angelus statuatur in diversis locis, non verò quòd res incompleta. Contrà primò, nunquam in scholis audita est hæc disparitas à quoquam data, sed ipso facto quòd aliquid sit in diversis locis, reputatum semper est miraculum. Contrà secundò, hinc valde infringuntur miracula cum conceditur posse res aliquas naturaliter esse in diversis locis, quidni enim, si uni rei hoc concedatur, poterit & concedi aliis? Unde ex communi consensu omnium, si poneretur eadem albedo in duobus parietibus, altero hic, altero in Indiis, censetur miraculum.

Quartò & præcipue probatur, si enim forma materialis possit vi agentium naturalium statui in diversis locis discontinuis, sequitur posse etiam compositum eadem ratione in duobus locis collocari: unde Deus ut auctor naturæ posset ignem aut arborem Londini simul & Parisiis statuere. Si enim hoc ex limitatione rei creatæ non proveniat, & concedatur formæ, non est unde negetur composito.

Dices, ignem aut lapidem, vel aliud huiusmodi compositum non posse statui in diversis locis, quia sequeretur penetratio, cum locus omnis in universo sit corpore aliquo repletus, & nullibi detur vacuum.

IV.
Idem dicendum de forma materiali ali.

V.
Habuum
semper esse
miraculum
quod res
existit in
duobus locis.

VI.
Sequeretur
quidvis esse
posse naturaliter in
duobus locis.

VII.
Quoddam
sensu.

Con-